



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

III. De iis qui post acceptum baptismum sacrificiis se daemonum, vel
incesta lauatione polluerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

310 D A M A S V S C O N C I L I V M G R A T I A N I
P. I. I M P.

eiusmodi vitiorum germen inoleuit, vt ad plena remedia
difficilis sit recursus; certe non sine verecundia eorum
quos causa contingit. Quocirca, fratres, librato diu,
moderatoque consilio, ea cautelæ ratio seruata est, quæ
& scandala submoueret, & sanctitatem ecclesiæ custo-
diret.

C A N O N E S.

I.

SEDIT igitur, neminem post hanc Synodum,
qua eiusmodi illicitis vel sero succurritur, de-
digamis, aut internuptarum maritis, ordinari cle-
ricum posse. Nec requirendum, vtrumne initiati
sacramentis diuinis, anne gentiles, hac se infelicis
fortis necessitate macularint, cum diuini præcepti
casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel
imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam præsum-
ptionem damnare non possumus, nec per omnes
ecclesias quæ sunt iampridem male gesta corrigi-
re; placuit etiam de eorum statu qui prius ordinati
sunt, nihil reuolui, si nulla extrinsecus causa proce-
dat, qua indigni ministerio comprobentur.

II.

De puellis vero quæ se Deo voverunt, si ad ter-
renas nuptias sponte transferint, id custodiendum
esse decreuimus, vt pœnitentia his nec statim de-
tetur; & cum data fuerit, nisi plene satisficerint Deo
in quantum ratio poposcerit, earumdem commu-
nio differatur.

III.

Circa eorum vero personas, qui se post vnum
& sanctum lauacrum, vel profanis sacrificiis dæ-

ANNO
CHRISTI
374.

ANNO
CHRISTI
374.

ANNO
CHRISTI
374. monum, vel incesta lauatione polluerint, eam cen-
furæ formam duximus esse seruandum, vt his iux-
ta Synodum Nicænam satisfactionis quidem adi-
tus non negetur, ne infelibus lacrymis vel solatii
Synodus
Nicænus
cap. 11.
ianua desperatione claudatur: acturi vero pœni-
tentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen
remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt,
qui eius largitatem & solus obtinet, & tam diues
misericordia est, vt nemo desperet. Deus enim
mortem non fecit, nec lætatur in perditione vi-
uorum.

IV.

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiæ
utilitate censuimus, vt sciretis, quicumque se sub
ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel e-
piscopatus, mortali crimine dixerint esse pollutos,
a supradictis ordinationibus submouendos, reos
scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsita-
tis.¹ Neque enim absolui in his potest, quod di-
ctum in alios puniretur: cum omnis qui sibi fue-
rit mortis causa, maior homicida sit. Diuina vos
pietas in æternum custodiat, fratres dilectissimi.

S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Florentius episcopus ecclesia Viennensis subscripsi.
Ego Æmilianus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Eumerius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Artemius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Euodius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Antherius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Rhodanius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Chrestus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Neoterius episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Vrbanus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Paulus episcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.